



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

3. Totam ferè Dissertationem suam extra orbitam quæstionis perducit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

III. *Secundò.* Totam suam Dissertationem rebus & testimonijs infercit nihil ad rem pertinentibus, unde fatigato Lectore, impletisque paginis, ac oculis foliorum numero deceptis, nihil tandem dicit, quod quæstioni respondeat. Quæstio enim est: an Rex Galliae Regalia toto Regno extendere possit, etiam ubi hæcenus nunquam more recepta fuerat? Majore suæ Dissertationis parte P. Alexander ostendere conatur Reges Galliae *Custodiã rerum Ecclesiasticarum potius esse, feuda concessisse, Episcopos nominasse, in aliquibus locis Regalia jus exercuisse.* At quæso quid hæc ad rem faciunt? imò contrarium ostendunt, ut postea dicemus. Ergo cum navigandum in Ortum esset, vela fecit in Occidentem.

IV. *Tertiò.* Imò ut paulò antea insinuaveram; ex principijs Alexandri, contrarium potius sequitur. *Rex Custodiã gaudet: esto, sed non custodit, qui consumit; sacrique Canones Custodibus præfertim, Patronisque sub gravissimis penis prohibent, ne res Ecclesiasticas atrectent.* Nullus Principum est, cui in suo Dominio Ecclesiarum custodia commissa non sit; num ergo omnes Principes Regaliã gaudent? cur ergo propria esse dicitur Gallici Diadematis? an etiam omnium subditorum ac patrimoniorum Custodes Reges non sunt? num ergo licebit illi titulo Custodiæ, mortuòque Patrefamilias, patrimonia mortuorum occupare? aut si hoc non licet in bona profana, cur licebit in bona Deo sacra? aut cur istis jus custodiæ magis præjudicabit, quàm illis? & cur pejor sit causa viduæ Ecclesiæ, quàm viduæ uxoris? Filiorum Christi, qui pauperes sunt, quàm filiorum defuncti Mariti? *Sed Reges Ecclesias fundarunt.* Non planè omnes, præsertim quas novis victorijs in Belgio, Alfania, Lotharingia, Burgundia Rex Coronæ suæ adiecit, sed nec omnes in Gallia; cur ergo ex omnibus vacantes fructus rapiuntur? num solus Gallus Ecclesias fundavit, & non alij quòque Principes Christiani? cur ergo soli Gallo Regalia? & quæ æquitas ut quæ majores fundarunt Christoque dedicarunt, rapiant Nepotes, & filco addicant? quòd si semel Regi aut etiam privato donata repeti non possunt, cur repetantur Christo & Ecclesiæ donata? *Sed Principes Ecclesias feudis auxerunt.* Demus; sed vacantium feudorum proventus (nisi ubi jus Relevij obtinuit) non ad Dominum, sed ad vasalli hæredes spectant: imò cum feuda non Episcopis, sed Deo & Ec-

Gallia
indicata
G III
230